# Actum in Civitate Regia Kovaleviensi coram Iudicio Civili Scabinali, Feria Qvinta post Festum Annunciationis Beatissimae ac Gloriosissimae Virginis Mariae proxima, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Qvinqvagesimo Qvinto.



Ad Iudicium Actaqve praesentia Civilia Scabinalia Kovaleviensia, qvoniam Acta Castrensia Palatinatus Culmensis ad praesens vacant nec ad ea aditus patet, personaliter veniens Spectabilis Ephraim Oloff Secretarius Civitatis Thorunensis, ibidemqve nomine Nobilis et Spectabilis Magistratus Omniumqve Ordinum Civitatis Thorunensis Rescriptum Sacrae ac Serenissimae Regiae Majestatis, die 13 Mensis Decembris Anno praeterito 1754 Varsaviae expeditum, ad Acticandum ut et Manifestationem subiunctam in parata Copia obtulit. Cujus Rescripti Tenor est qvi seqvitur: AUGUSTUS Tertius Dei Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae, Czernicchoviaeqve Nec non Haereditarius Dux Saxoniae et Princeps Elector. Nobilibus et Spectabilibus Praeconsuli, Consulibus Totiqve Magistratui Civitatis Nostrae Thorunensis fideliter Nobis Dilectis, Gratiam Nostram Regiam. Nobiles et Spectabiles fideliter Nobis Dilecti, Intercesserat Rescriptum Nostrum in Anno Millesimo Septingentesimo Qvadragesimo Tertio Mense Iulio occasione aedificationis Templi ad Fidelitates Vestras directum, qvo mediante Continuationem Eiusdem coeptae Structurae inhibueramus. Hac itaqve Inhibitione Nostra stante cum sparsus fuerit rumor, acsi coeptum olim Templum rursus perficiatur; ea propter sub alternis Rescriptis, Anno proxime praeterito Millesimo Septingentesimo Qvinqvagesimo Tertio extraditis, nominatum Opus, ne ulterius perficiatur, suspenderamus Resolutionemqve Nostram respectu praemissorum et determinationem ad felicem Nostrum in Regnum adventum distuleramus. Cum itaqve tam ex Relatione Consiliariorum Nostrorum, qvam ex supplici Libello Fidelitatum Vestrarum Nobis humillime insinuato informati simus, qvod Collegium Mercatorum loci publici, Gilda vocitati, qvem Socii Augustanae Confessionis, sub praesentia Commissionis Anni 1724ti pro explenda Oratione et Exercitio Evangelicae Religionis occuparunt, et huc usque occupant, restitutionem urgeat, et uti idem locus publicus, Gilda dictus, pristino usui restituatur, instet; ac ea propter in fundamentis ante hac jactis non Templum, sed aedificium, qvod externe omnem formam domus in fenestris et portis habiturum sit, pro transferendis de loco Gilda devo-



devotionibus superstrui Fidelitates Vestrae intendant; Qvo circa anteriora Rescripta Nostra exstructionem Templi inhibitoria, Domum seu Oratorium sine forma Templi extruendum afficere non posse declaramus, permittimusqve Fidelitatibus Vestris Oratorium pro usu Sociorum Augustanae Confessionis externe formam Domus in Foribus et Fenestris habens, continuare, perficere et uti, sub eadem libertate, sub qva Gilda, non obstantibus quibusvis Inhibitionibus, nec iisdem attentis, illudqve aedificium Gilda vocitatum publico civiliqve usui pristino, pro Commodo praesertim Mercatorum qvatenus restituant, injungimus. Secus Fidelitates Vestrae non facturae pro Gratia Nostra. In qvorum fidem praesentes Manu Nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviae die XIII Mensis Decembris Anno Domini MDCCLIV. Regni vero Nostri XXII Anno. AUGUSTUS Rex. Locus Sigilli Regni Majoris. Rescriptum Sacrae Regiae Majestatis quo permittitur Augustanam Religionem profitentibus exstruendum Oratorium sed non ad formam Templi. Adalbertus Rakowski Sacrae Regiae Majestatis et Sigilli Majoris Regni Secretarius manu propria. Ad Acta Metrices Regni Cancellariae Majoris sub Actu Varsaviae Feria Tertia post Dominicam Passionis Qvadragesimalem proxima die scilicet Decima Octava Mensis Martii Anno Domini 1755 praesens Rescriptum per oblatam porrectum, iisdemque Actis ingrossatum. Ignatius Ludovicus Nowicki Metrices Regni Praefectus, Sacrae Regiae Majestatis Secretarius, manu propria. Insistendo itaqve huic clementissimo Rescripto Nobilis et Spectabilis Magistratus atqve Civitatis Ordines obviando qvibusvis sinistris interpretationibus ex sparso rumore factis, ac si Dissidentes Templum pro Exercitio Religionis suae in Civitate exstruere intendant, publice manifestantur atqve pro rei veritate candide declarant, nullam aliam esse mentem, nullumqve aliud propositum, qvam ut in jactis jam fundamentis Domum Oratorium in usum Religionis Augustanae Confessionis ad mentem praeinserti Rescripti Regii exstruatur, Nullatenus vero intentio ulla sit, augendi numerum aedificiorum pro exercitio dictae Religionis, sed qvo locus iste publicus Gilda dictus, qvi hactenus huic usui inserviit, ex voluntate et jussu Sacrae ac Serenissimae Regiae Majestatis Domini Nostri Clementissimi Fraternitati Mercatorum cui ab immemoriali tempore competit restitui et in usum pristinum Mercatorum converti possit. Reservata facultate salva hanc Manifestationem augendi minuendi ac, si opus fuerit, aliam in ejus locum substituendi. Locus Sigilli. Ex Actis Civilibus Scabinalibus Kovalevienslbus extradidit. Stanislaus Zeberski Notarius. mppria.